

Relatio super statu dioecesis Linciensis (Austria)
secundum formulam praescriptam in „Acta Apostolicae Sedis” (vol. X. 1918 pag. 487 squ.).

CAPUT I.

Generalia de statu materiali personarum et locorum.

1. *Indicet Ordinarius nomen et cognomen suum, aetatem, originis locum, et institutum religiosum, hoc est religionem, si ad aliquam pertineat; quando fuerit consecratus, vel, si Abbas sit, benedictus; quando dioecesis regimen susceperit. Si Episcopum Auxiliarem habeat, an datus sit personae vel dioecesi.*

Joannes Maria Gfoellner, natus die 17. Dec. 1867 in Waitzenkirchen (dioecesis Linciensis) - consecratus episcopus die 18. Octobris 1915, dioecesis regimen suscepit die 19. Octobris 1915.

2. *Breviter exponat quaenam sit origo dioecesis, quinam eius titulus seu gradus hierarchicus, quae privilegia potiora; si metropolitana sit, an et quas habeat suffraganeas sedes; et quem Ordinarium appellationis iuxta Codicem, can. 1594 § 2, teneat; si vero suffraganea sit, quem Metropolitanam habeat; et num apud illum, vel apud alium Antistitem pro conferentiis episcopalibus conveniat; si denique nulli Metropolitanae suffragetur, quem Metropolitanam pro Concilio provinciali, pro conferentiis et pro iudicio appellationis teneat iuxta cann. 285, 292 et 1594 § 3.*

Dioecesis Linciensis simpliciter episcopalis sub imperatore Josepho II. ex dioecesi Passaviensi (Bavaria) excissa et anno 1783 erecta a Summo Pontifice Pio VI. per Bullam „Romanus Pontifex” de dato 28. Januarii 1785 confirmata est. Metropolita est archiepiscopus Vindobonensis, apud quem pro Conferentiis episcopalibus unacum ceteris episcopis Austriacis convenio.

3. *Dicat praeterea:*

a) *quinam locus residentiae Ordinarii, cum indicationibus ad epistolas inscribendas necessariis;*

b) *quaenam amplitudo dioecesis, ditio civilis, caeli temperies, lingua;*

c) *quaenam summa incolarum et praecipua oppida; quot inter incolas sint catholici; si autem varii adsint ritus, quot catholici in singulis, et si acatholici inveniantur, quot sint, et in quales sectas dividantur;*

d) *qui numerus sacerdotum saecularium, clericorum et alumnorum seminarii;*

e) *utrum adsit Capitulum cathedrale, an potius coetus consultorum dioecesanorum; an adsint alia Capitula, vel sacerdotum coetus instar Capitulorum, seu Communiae, et quot;*

f) *in quot vicariatus foraneos, decanatus, archipresbyteratus aliasve circumscriptiones dioecesis divisa sit; quot sint paroeciae, cum numero fidelium earum quae maximae vel minimae sunt; an adsint paroeciae per linguas seu nationes distinctae, et an per familias et non territorio divisa, et quo iure; quot aliae ecclesiae vel oratoria publica adsint; sitne sacer aliquis locus celeberrimus, et qualis, cann. 216, 217;*

g) *utrum et quaenam religiones virorum habeantur, cum numero domorum et religiosorum sacerdotum;*

h) *utrum et quaenam religiones mulierum, cum numero domorum et religiosarum.*

a) Locus residentiae Ordinarii est urbs Linciensis ad flumen Danubii sita (Linz a. Donau - Haute Autriche - Oberoesterreich).

b) Dioecesis complectitur omnem et solam provinciam Austriae Superioris et paucas domus provinciae Austriae Inferioris et Salisburgensis; continet ambitum 11.988.8 km² et pertinet ad ditionem reipublicae Austriacae. Coeli temperies est mitis et amoena, incolae utuntur lingua germanica.

c) summa incolarum: anno 1920 numerabantur 857.234. Oppida praecipua sunt Linz - Wels – Steyr - Catholici numerantur 852.539, ceteri quoad majorem partem sunt protestantes aut nullam profitentur Confessionem a gubernio recognitam.

d) numerus sacerdotum saecularium 749, clericorum et alumnorum Seminarii 61;

e) Capitulum cathedrale adest, alia Capitula desunt;

f) Decanatus numerantur 35, paroeciae 420, quarum maxima 20.000 et minima 200 fideles numerat; paroeciae per linguas seu nationes aut per familias et non territorio divisae non adsunt; praeter ecclesias parochiales in universa dioecesi numerantur 632 aliae ecclesiae vel oratoria publica; sacer aliquis locus vere celeberrimus non adest;

g) elenchus religiosorum virorum:

<u>Religio (seu ordo vel institutum religiosum)</u>	<u>domus</u>	<u>sacerdotes</u>
Canonici Regulares Lateranenses	2	107
Ordo Praemonstratensis	1	40
Ordo S. Benedicti	2	106
Ordo Cisterciensis	2	58
Ordo Fratrum Minorum	6	32
Ordo Cappucinatorum	4	28
Ordo Carmelitarum discalc.	1	9
Ordo S. Joannis de Deo	1	1
Societas Jesu	3	27
Congregatio Ssmi Redemptoris	2	17
Societas Divini Salvatoris	1	
Societas Verbi Divini	1	2
Societas Maristarum	2	5
Congregatio Oblatorum S. Francisci Salesii	3	1
Fratres Scholarum christianarum	1	-
Trappistae	1	-

h) elenchus religionum mulierum

<u>Institutum religiosum</u>	<u>domus</u>	<u>Religiosae</u>
Moniales S. Ursulae	1	50
Moniales Carmelitanae discalc.	2	43
Visitationis B. M. V.	1	31
Moniales Ss ^{mi} Redemptoris	1	29
Sorores S. Elisabeth	1	43
Sorores Boni Pastoris	1	48
Reg. S. Augustini		
Sorores misericordiae S. Vincentii	21	315
Sorores misericordiae S. Caroli B.	16	116
Sorores a S. Cruce (Ingenbohl)	100	657
Sorores scholares III. Ord. (Voecklabruck)	45	385
Sorores scholares III. Ord. (Hallein)	1	7
Sorores de Notre Dame	2	17

(sor. Scholares) - Muenchen		
Sorores Oblatae S. Francisci	1	16
Salesii		
Filiae Divini Salvatoris	1	5
(Reg. S. August.)		
Societas a caritate christiana	1	11
		1935

CAPUT II.

De administratione temporalium bonorum, de inventariis et archivis.

4. An et quomodo iuxta civiles loci leges, facultas possidendi, acquirendi et administrandi, quae ecclesiae propria est, sarta tectaue sit; an potius coarctata; et si ita sit, quaenam sit conditio cleri et ecclesiarum.

Facultas possidendi, acquirendi et administrandi bona temporalia ecclesiastica quoad substantiam sarta tectaue est et civiles leges solum expostulant, ut potissimum de administratione bonorum ecclesiasticorum, quae ex sic dicto „fundo religionis” relicta sunt, ratio reddatur; pariter quoad alienationem bonorum ecclesiasticorum licentia gubernii antea expostulanda est. Ceteroquin conditio cleri et ecclesiarum in universum, mutata nunc forma regiminis, haud pejorata, potius meliorata dici potest, quum clero congrua vere sufficiens a gubernio assignata sit et diversa officia ecclesiastica subventionibus gubernii sustentantur.

5. An institutum sit penes Curiam Consilium administrationis et quibusnam constet; et num Episcopus in administrativis actibus maioris momenti illud audierit iuxta praescripta can. 1520.

Penes curiam exstat Consilium administrationis, constans ex duobus sacerdotibus rei peritissimis et uno laico. In actibus administrationis maioris momenti eorum consilium semper praerequiritur.

6. An administratores particulares, sive ecclesiastici sive saeculares, cuiusvis ecclesiae etiam cathedralis, aut loci pii canonice erecti, aut confraternitatum, reddant quotannis Ordinario rationem suae administrationis. Can. 1525.

Administratores particulares omnium ecclesiarum parochialium quotannis Ordinario rationem administrationis reddere tenentur. Quodsi loci pii canonice erecti aut confraternitates bona temporalia administranda possident, ratio redditur aut a parochio aut immediate ad episcopum.

7. An servata sint praescripta can. 1523 circa modum administrationis, et confectionem librorum accepti et expensi; can. 1526 de non inchoandis litibus sine Ordinarii scripta licentia; can. 1527 de abstinendo ab actibus Ordinariam administrationem excedentibus; et can. 1544 seqq. circa congruam dotem, tabulas piarum foundationum, aliaque.

Administratio bonorum omni sollicitudine ad normam Can. 523 geritur. Si quando incidat casus Can. 526 expressa Ordinarii licentia petenda foret; multo magis praescriptum Can. 527 servatur; piarum foundationum onera et conditiones de quibus agit Can. 544 exacte observantur.

8. An qui bona fiduciaria ad pias causas acceperint, servant quae can. 1516 statuit, praesertim circa rationem Ordinario reddendam.

De bonis fiduciariis clerici eodem modo sicuti de ceteris bonis ecclesiasticis Ordinario rationem reddere tenentur.

9. In venditione, oppignoratione, permutatione, locatione et emphyteusi bonorum servataene

sint fideliter ab omnibus normae cann. 1530-1533, 1538-1542; et si non, quae remedia adhibita. Praecipua quae acta sunt his de rebus negotia referantur.

In venditione, oppignoratione, permutatione, locatione et emphyteusi bonorum praescripta canonum servantur, in quantum leges civiles, quae simul observandae veniunt, permittunt. Quae vero de valore Can. 1541 statuuntur, hisce temporibus valore „Valutae” penitus immutato, immo vix pro anno perdurante, solum modo aequivalenti observari potuerunt, donec condiciones pecuniariae statum firmum atque constantem denuo accipiant, quod nunc sperare licet.

10. Circa decimarum et primitiarum solutionem serventur laudabiles consuetudines, praecavendo tamen a dura exactione. Can. 1502.

Decimarum et primitiarum solutiones non amplius sunt in consuetudine, exceptis quibusdam collectionibus frugum et segetum pro capellanis, quae adhuc servantur.

11. Circa oblationes in commodum paroeciae et missionis serventur praescripta can. 1182 de earum administratione et ratione Ordinario reddenda; et collectores abstineant a vexatoria et odiosa requisitione.

Si quae oblationes in commodum paroeciae aut aliorum piorum operum fiunt, omnino voluntarie et libere, sine ulla vexatione fidelium fiunt.

12. Circa missarum stipem quomodo serventur quae can. 831 praescribit de taxa synodali; quae can. 835 de non colligendis a sacerdotibus missis, quibus intra annum ipsi satisfacere nequeant; quae can. 841 de transmissione ad Ordinarium missarum exuberantium; quae cann. 843 et 844 de libro tam personali quam ecclesiarum proprio pro missis adnotandis. Taxa pro missis tum manualibus tum foundationis, perturbatis ultimo praesertim anno omnibus rationibus conditionis pecuniariae, pro rerum et casuum diversitate diversimode statuebatur et ab omnibus observabatur; nunc demum ordine aliquatenus restituto, firma iterum taxa praescribetur inde a 1. Januario 1924.

Missae, quibus intra annum satisfieri nequit, tempestive ad Ordinariatum transmittendae curantur; si qui vero sacerdotes negligentes deprehenduntur, pro officio monentur. Etiam missae, de quibus Can. 841 agit, suo tempore transmittuntur.

In visitatione tum ab Episcopo tum a Decano instituenda liber tam personalis quam ecclesiarum proprius pro missis adnotandis inspicitur et si quaedam observationes necessariae videntur, pro casus natura fiunt.

13. An inventaria immobilium, mobilium et sacrae supellectilis uniuscuiusque ecclesiae, parochiarum, capitulorum, confraternitatum aliorumque piorum locorum, quae canonice erecta sint, confecta in duplici exemplari, alio pro pio opere, alio pro Curia episcopali, habeantur iuxta cann. 1296, 1522. Cautumne sit, et quomodo, ne morte rectoris ecclesiae, aut superioris pii operis, mobilia et supellectilia disperdantur aut subtrahantur. Cann. 1296, 1300-1302.

Inventaria praescripta immobilium, mobilium et sacrae supellectilis apud singulas ecclesias confecta custodiuntur, in visitatione exhibentur et examinantur et morte vel discessu rectoris ecclesiae aut superioris a decano, interveniente etiam deputato gubernii, revidentur ita ut nil disperdi aut subtrahi queat.

14. An Episcopus archivum habeat ad tramitem cann. 375-378 erectum et custoditum et cum documentis et libris de quibus in cann. 470 § 3, 1010, 1047, 1107; a quo tempore documenta incipiant, et an pergamenae et incunabula habeantur; catalogine confecti sint; an aliud quoque secretum archivum, vel saltem armarium obseratum, in qua scripturae secretae custodiantur, servatis regulis cann. 379-380.

Archivum curiae est optime ordinatum et custoditum et curae proprii sacerdotis concreditum. Acta secreta in proprio archivo bene oclusa servantur. Nomina et documenta ordinatorum tum apud curiam tum in seminario majori servantur.

15. An ecclesia cathedralis, collegiatae, paroeciales, confraternitates et pia loca canonice erecta sua quoque archiva detineant, cum documentis cuicumque piae causae propriis, cum inventariis mobilium et immobilium et cum catalogo omnium documentorum; et exemplar eiusdem catalogi exhibitumne fuit Curiae episcopali, et in archivo Curiae repositum iuxta can. 383.

Singulae ecclesiae sua quoque archiva habent, quae quotannis a decano et occasione visitationis canonicae ab Episcopo inspiciuntur. In archivo episcopali exemplaria talium archivorum non quidem asservantur, sed acta, quae immobilia, mobilia et documenta praedicta concernunt, eadem quoad substantiam exhibent.

CAPUT III.

De fide et cultu divino.

16. Utrum graves errores contra fidem serpent inter dioecesis fideles; vel aliqua praxis superstitiosa aut ab institutis catholicis aliena in dioecesi vigeat; an modernismi, theosophismi, spiritismi lues dioecesim infestet, et an aliqui e clero eisdem erroribus infecti sint. Quaenam huius mali fuerit, vel adhuc sit causa.

Adsitne consilium a vigilantia, quot personis constet, et quo fructu munera sua expleat.

An professio fidei cum iuramento antimodernistico exigatur, et ab omnibus ad quos spectat fideliter praestetur iuxta can. 1406 et decretum S. Officii 22 Martii 1918.

Errores contra fidem saepius quidem inter fideles sparguntur, sed non obstantibus magnis conatibus adversariorum effectus generatim deest.

Praesertim socialistae et sic dicti „Liberi cogitatores” multos fideles, praepriis operarios, ad atheismum trahere conantur et in urbibus majoribus haud pauci ab ecclesia desciverunt; sed longe major et sanior pars fidelium, Deo adjuvante, in fide catholica hucusque firmiter stetit, imo ipsi conatus adversariorum potius minuuntur et effectu magis magisque destituuntur.

Methodistae anno elapso in urbe episcopali Linciensi propriam quidem communitatem erexerunt, sed hucusque absque majori damno fidelium.

Etiam „Adventistae” et alii haeretici tum scriptis tum sermonibus in publicis congressibus fideles pervertere conantur, quin tamen intenta sua pessima obtineant.

E contra lues spiritismi, theosophismi et similium occultistarum in civitatibus majoribus haud paucos infecit, quamvis saepenumero potius curiositas quam interna adhaesio eos impellat.

Causa est imbecillitas fidei et ignorantia practica religionis et ecclesiae.

Consilium a vigilantia adest quidem, sed deficientibus causis majoris momenti vix munera explere tenetur. Professio fidei cum iuramento antimodernistico ab omnibus ad quos spectat exigitur et praestatur.

17. Utrum divinus cultus libere exerceatur; sin minus, unde obstacula proveniant: a civilibusne legibus, an ab hostilitate perversorum hominum, vel ab alia causa; quaenam ratio suppetat ad ea amovenda et num adhibeatur.

Divinus cultus libere exercetur. Duobus abhinc annis in ecclesia Societatis Jesu in ipsa urbe episcopali adversarii libertatem praedicationis ocludere quaerebant et tumultum publicum in ecclesia provocaverunt; sed statim omni qua pollebam potestate ipsis restiti, vehementem protestationem contra violentiam praedictam tum in ipsa ecclesia tum in foliis publicis edidi ita ut ex illo tempore nullibi ordo religionis impeditus aut perturbatus sit.

18. An ecclesiae iura circa coemeteria sarta tectaue sint et canonicae de his leges servari

possint et servantur. Cann. 1205 seqq.

Coemeteria fere ubique ad ipsas ecclesias pertinent ita ut jura et praescripta ecclesiastica stricte observari queant; sed et in ipsis paucis coemeteriis, quae ad communitates civiles pertinent, jura et praescripta saltem stricte religiosa ad effectum perducere queunt. Dolendum tamen, non raro socialistas et „liberos cogitatores” in solemnitatibus funebribus aut vexilla socialistica deferre aut ad sepulcrum sermones politicos, sacerdote utique jam digresso, miscere, quae quidem impediri nequeunt, legibus et magistratibus publicis nullam opem praestantibus.

19. Utrum in cultu divino, in sanctorum, sacrarum imaginum et reliquiarum veneratione; in sacramentorum administratione necnon in sacris functionibus, sive quoad ritus sive quoad linguam et cantum, leges canonicae ac liturgicae servantur. An in his, et quatenus, irrepererint singulares consuetudines; sitne cura ut prudenter submoveantur, an potius tolerantur, et quatenus de causa. Can. 731 seqq.; can. 1255 seqq. Adsintne in ecclesiis picturae, statuariae aliaque a sanctitate loci aliena, vel minus consona liturgicis legibus; et quid fiat ut amoveantur. Arceantur semper a domo Dei profani conventus et nundinae etiam ad pias causas. Can. 1178.

In cultu divino leges canonicae ac liturgicae servantur. Hisce temporibus calamitosis, sede Apostolica expresse permittente, in ecclesiis, deficientibus candelis ex cera confectis, lux electrica multoties adhibebatur coram exposito Sanctissimo candelis cereis omnino adhibitis; immo ipsi oleo in lampade coram Sanctissimo ardenti lux electrica substitui debuit. Nunc vero ad leges liturgicas fit reditus. Consuetudines illegitimae memoratu dignae non irrepererunt. Partim dolendum, in permultis ecclesiis lucem electricam ad illustrandum non solum templum, sed ipsum altare adhiberi; in causa fuit defectus petrolei, candelarum et oleorum tempore belli et immediate post eversionem ordinis politici. Fiunt tamen semper monitiones, ne species theatralica ingeratur, quare solum inspectis locorum circumstantiis fit permissio, ut lux electrica ad ipsum etiam altare adhibeatur.

Picturae, statuariae aliaque a sanctitate loci aliena vel minus consona liturgicis legibus non adsunt. Profani conventus aut nundinae etiam ad pias causas nullibi habentur, immo ipsi concertus musici etiam religiosi expresse interdicti sunt.

20. Utrum numerus ecclesiarum in singulis oppidis vel paroeciis fidelium necessitati sufficiat. Numerus ecclesiarum in singulis oppidis vel paroeciis fidelium necessitati ubique sufficit.

21. An generatim ecclesiae mundaes sint, decenter ornatae et suppellectili sufficienti instructae. Adsintne egentes, squalidae, fatiscientes, et an et quid agatur ut reficiantur.

Recenseantur ecclesiae, si adsint, structurae arte, picturis aut pretiosa suppellectili insignes: et dicatur num congrua de his omnibus cura adhibeatur.

Generatim ecclesiae sunt mundaes, decenter ornatae et suppellectili sufficienter instructae.

Existit in dioecesi pia associatio mulierum, quae vestibus sacris et vasis ecclesiasticis comparandis dant operam. Ecclesiae egentes, squalidae aut fatiscientes non adsunt. In una ecclesia „campanile” subito corruit, sed jam novum substitutum fuit.

Prae omnibus ecclesiis eminent nova cathedralis in urbe Lincii, quae anno 1862 coepta proximo anno 1924 die I. Maji feliciter consummata erit et solemnissima festivitate publico usui aperietur. Erecta fuit in perennem memoriam dogmatizationis Immaculae Conceptionis B. M. V.; expensae solutae sunt liberis elemosynis fidelium totius dioecesis liberalitate collectis. Cathedralis stylo gotico constructa continebit 21.000 homines.

Ecclesiae structurae arte, picturis aut pretiosa suppellectili insignes sunt ecclesiae abbatiarum ad St. Florianum, Schlierbach, Cremifanum (Kremsmünster), necnon ecclesiae saeculares in Mondsee et Spital am Pyhrn.

22. *An ingressus in ecclesias, dum sacra aguntur, sit, prout debet, prorsus absolute semperque gratuitus. Can. 1181.*

Ingressus in ecclesias, dum sacra aguntur, prorsus absolute semperque gratuitus ubique est.

23. *An ecclesiae rite custodiantur ne furtis et profanationibus obnoxiae fiant, et eae in quibus SS. Eucharistia asservatur, praesertim paroeciales, quotidie per aliquot horas fidelibus pateant iuxta can. 1266. Quomodo observentur: cann. 1267 et 1268 circa custodiam SSmi Sacramenti in uno tantum loco et altari; et circa decorem et ornamentum praecellentissimum altaris eiusdem; can. 1269 circa tabernaculi statum; can. 1271 circa lumen coram SSmo.*

Ecclesiae rite quidem custodiuntur, sed immediate post eversionem ordinis politici, passionibus vulgi instigatis, saepenumero furtis vasorum, imo sacrarum specierum profanatae fuerunt; ultimis tamen temporibus haec crimina perdolenda fere omnino cessaverunt. Quare ecclesiae praesertim rurales et solitariae hisce temporibus calamitosis saepe per totum diem oclusae fuerunt, nunc vero iterum adorationi Sanctissimae Eucharistiae ubique patent.

Praescripta cann. 1267 et 1268 circa custodiam Sanctissimi Sacramenti et decorem eiusdem altaris rite observantur. In aliquibus tamen ecclesiis majoribus pro commoditate fidelium ad mensam eucharisticam frequenter accedentium Eucharistia in duobus altaribus asservari consuevit, quod quidem absque nimia offensione haud immutari potest.

Etiam cann. 1270 et 1271 circa tabernaculi statum et lumen coram Sanctissimo rite observantur, exceptis quae jam sub n. 19 de luce electrica coram Sanctissimo observata fuerunt.

CAPUT IV.

De iis quae ad Ordinarium pertinent.

24. *Indicet Ordinarius quibus redditibus ipse qua talis fruatur, sive sint ex bonis immobilibus, ex publico foenore vel aerario, ex incertis Curiae, ex dioecesis contributione, sive ex aliis causis: et an sibi sufficientes sint; qualem domum episcopalem inhabitet, et cum quibusnam convivat: an et quale cathedraticum exigat iuxta can. 1504; an et quales alias exactiones forte imposuerit iuxta cann. 1505, 1506; utrum aliquo aere alieno sive qua Ordinarius, sive qua persona privata gravetur; et qua ratione eius extinctioni consulat.*

Episcopus fruatur redditibus ex bonis immobilibus et ex titulis aerarii publici, ita ut victus et expensae in tuto collocatae sint. Domus episcopalis sat ampla est et ad proprietatem dioeceseos pertinet. Episcopus ibidem habitat cum tribus sacerdotibus secretariis, canonico paroco ecclesiae cathedralis et alio sacerdote saeculari curato.

Cathedraticum numquam in usu fuit nec aliae exactiones ecclesiis aut clericis imponuntur, cum Ordinarius aere alieno non gravetur.

25. *An episcopales aedes et bona mensae sive mobilia sive immobilia, accurato inventario confecto, curaverit iuxta praescripta cann. 1483, 1299 § 3 et 1301.*

Sedes episcopalis et bona mensae sive mobilia sive immobilia, accurato inventario confecto, sarta tecta curantur; duo sacerdotes experti administrationem gerunt et quotannis rationem exactam reddunt.

26. *An in ultima sedis vacatione praeter Vicarium Capitularem oeconomus quoque constitutus fuerit pro mensae bonis et res bene gestae fuerint iuxta cann 432, 433.*

In ultima sedis vacatione praeter Vicarium Capitularem oeconomus quoque constitutus fuit pro mensae bonis et res omnino bene gestae fuerunt.

27. *Quomodo residentiae legi satisficiat; qua frequentia pontificalia peragat, conciones habeat et pastoralibus litteris clerum et populum instruat; quomodo caveat ut ecclesiasticae*

leges notae fiant, et ut ab omnibus fideliter servantur. Can. 336.

Residentiae legi satisfacio, per totum annum in urbe episcopali residens et commorans. Anno 1921 prima vice ad limina Apostolica peregrinatus per 4 hebdomadas absens fui ex dioecesi, item anno 1922 congressui eucharistico Romae assistens per 2 hebdomadas. Pontificalia perago in ecclesia cathedrali festis solemnioribus, in minus solemnibus assistens in mitra et pluviali. Persaepe in dioecesis ecclesiis tum ipsius urbis episcopalis tum dioecesis pontificalia celebros. Conciones habeo in unaquaque visitatione canonica et praeterea quamplurimis occasionibus occurrentibus. Litteras pastorales saltem semel unoquoque anno et data occasione etiam pluries publico; leges ecclesiasticae notae fiunt in folio dioecesano quod generatim omni mense prodit.

28. Qua frequentia sacramentum confirmationis administret; et quomodo provideat, si ipse per se omnium necessitatibus consulere nequeat. Serventur in huius sacramenti collatione regulae de aetate confirmandorum et de patrinis.

Sacramentum confirmationis tribus diebus festis Pentecostes in ecclesia cathedrali administratur, praeterea in omnibus ecclesiis parochialibus occasione visitationis canonicae, deinde in duabus urbibus majoribus dioecesis et quam saepissime in sacello palatii episcopalis, ita ut omnibus necessitatibus et desideriis superabunde satisfiat. Regulae de aetate confirmandorum (circa 10 - 12 annorum) et de patrinis servantur; quandoque patrimi desunt quia haberi nequeunt.

29. Quot in quinquennio sive per se sive per alium ad sacros ordines promoverit. Et an servaverit leges de non promovendis:

a) qui necessarii non sint vel utiles iuxta can. 969;

b) qui saltem integrum theologiae curriculum in seminario non peregerint. Can. 972 § 1. An numerus ordinatorum par fuerit necessitati dioecesis. An aliquem incardinaverit, qua de causa, et num iuxta legem can. 111 seqq.

In quinquennio ultimo (1919-1923) 60 ad sacros ordines promovi. Omnes integrum theologiae curriculum in seminario (et regulares in instituto religioso) peregerunt; quotquot ordinati sunt, pro servitio dioecesis non solum utiles, sed omnino necessarii fuerunt. Exceptis duobus annis immediate post bellum finitum numerus ordinatorum necessitati dioecesis par fuit et proximis annis omnino sufficit. Unus sacerdos, jam antea in cura animarum in dioecesi constitutus et deinde in ordinem S. Benedicti ingressus, consensu praelati sui et S. Congregationis praehabito servato Can. 111 incardinatus fuit dioecesi, cum propter defectum vocationis statum religiosum derelinquere consultum duxerit. Nunc qua parochus in dioecesi omnino bene in vinea Domini operatur.

30. An servatae sint regulae can. 877 seqq. in concedenda facultate vel licentia sacramentales confessiones audiendi; et can. 893 seqq. circa casus reservatos.

Jurisdictio non conceditur nisi probatis per examina praescripta; qui in communitatibus eccleslasticis aut religiosis regulariter intersunt collationibus casuisticis omni mense haberi consuetis, ab examine dispensantur. Casus ab episcopo reservatus nullus in dioecesi existit.

31. Circa sacram praedicationem, an consuluerit ut iuxta Const. S. P. Benedicti XV et normas a S. C. Consistoriali datas die 28 Iunii 1917 omnia rite procederent; ac maxime ut servarentur praescripta can. 1340 seqq. circa licentiam concedendam et can. 1347 circa modum et argumentum concionandi. An curaverit ut votum a can. 1345 expressum de brevi aliqua homilia in omnibus missis festis habenda sensim ad effectum ducatur.

Decreta et monitiones Apostolicae Sedis circa s. praedicationem non solum in folio dioecesano publicata, sed etiam in collationibus pastoralibus discussa et inculcata fuerunt; si quando aliquid praedicatores a recto tramite aberrare videbantur, salutaribus monitis edocti

sunt. Licentia praedicandi nulli conceditur, qui non simul instructus sit jurisdictione pro audiendis confessionibus. In seminario majori futuri sacerdotes cursu theoretico et exercitatione practica pro munere praedicandi efformantur.

In majoribus ecclesiis praeter sermonem principalem etiam in aliis missis brevis homilia saepe habetur et usus talis pro viribus promovetur.

32. An et quo fructu avertere pro viribus studuerit fideles a nuptiis cum acatholicis, infidelibus, aut impiis iuxta cann. 1060, 1064, 1065, 1071.

A nuptiis cum acatholicis, infidelibus aut impiis fideles omni sollicitudine et cura pastorali a propriis pastoribus avertuntur, sed pro dolor saepe sine effectu. Quandoque etiam ego ipse, si casus ferebat, huiusmodi consilia adhibui, sed pari fere tristi eventu.

33. An in quinquennio totam dioecesim ipse per se, aut per alium visitaverit iuxta cann. 343-346. An praeter loca et res, libros et archiva, personas quoque clericorum visitaverit, eos singillatim audiendo, ut cognoscat quae sit uniuscuiusque vitae ratio, quae confessionis frequentia etc. An inspexerit quoque quae habentur circa legatorum adimplementum et missarum manualium satisfactionem ac stipem, et an constiterit omnia ad legis normam procedere iuxta cann. 824-844. Et si abusus aliquos hac in re detexit, referat.

Omni anno numerum sat sufficientem parochiarum ego ipse canonice visito, praeterea decani omni anno aut saltem alternis annis parochias sui decanatus visitant et ad episcopum de his referunt; deinde omnes parochi relationem annuariam de statu parochiarum ad episcopum referre tenentur; 4 canonici deputati sunt, qui decanos dioecesis regulariter altero aut tertio anno visitant.

In visitatione personae quoque clericorum singillatim audiuntur et de ratione vitae examinantur. Ad implementum legatorum et satisfactio missarum manualium ex officio inspiciuntur; in ultimo quinquennio nullus defectus majoris momenti deprehensus fuit.

34. Utrum et quomodo dioecesanam synodum celebraverit, et quando novissima synodus congregata fuerit. Cann. 356-362.

Synodus dioecesana prima et ultima celebrata fuit anno 1911. Propter temporum iniquitatem et victus caritatem exorbitantem nova synodi celebratio nondum possibilis fuit, sed proximis annis certe habebitur.

35. Si sit metropolitanus aut conferentiarum episcopalium praeses: an et quando concilium et quando conferentias convocaverit; quinam interfuerint; et quo fructu res cesserit. Cann. 283-292. Ceteri Episcopi: an concilio provinciali, et conferentiis ipsi per se, aut saltem per procuratorem, interfuerint. Can. 287.

Conferentiis episcopalibus Viennae celebratis omni anno interfui.

36. Quomodo se habeat cum civili loci auctoritate; an episcopalis dignitas et iurisdictio sarta tecta ita semper servari potuerit, ut numquam, servilitate erga humanas potestates vel alio modo, detrimentum libertati et immunitati ecclesiae, aut dedecus statui ecclesiastico obvenerit.

Civilis i. e. gubernii auctoritas, quae ex majori parte rei christianae favet, episcopum pro viribus in promovenda et servanda religione adjuvat; municipii auctoritas, quae ex majori parte socialistis constat, episcopum directe quidem non impedit, sed indirecte nefandis et rei christianae adversis consiliis quam plurimum impedit. Praesertim cum ego episcopus me nulla ex parte neque terroribus neque calumniis adversariorum frangi posse diversis occasionibus palam ostenderim.

CAPUT V.

De Curia dioeciesana.

37. Utrum Curia dioeciesana aedes proprias, sufficientes et convenientes habeat; et si non, an et quomodo huic defectui consuli queat. Exhibeatur prospectus officialium Curiae episcopalis, adiectis iudicibus synodalibus, examinadoribus, parochis consulatoribus, censoribus librorum aliisque peculiaribus administris. Can. 363 seqq.

Curia dioeciesana in ipso palatio episcopali aedes sat amplas et convenientes habet. Cancellariae praeesst canonicus cancellarius, cui subsunt director cancellariae (sacerdos), assessor (canonicus), duo secretarii (sacerdotes), duo sacerdotes (canonicus et parochus emeritus) pro administratione bonorum et missarum, registrator (sacerdos), denique 3 laici qui agenda potissimum externa et technica curant.

Judices synodales, examinadores, parochi consultores in numero sufficienti constituti sunt; censors librorum pro casibus singularibus, attenta scriptorum natura, determinantur.

38. De qualitatibus et opere Vicarii generalis et aliorum praecipuorum ministrorum adumbratio aliqua fiat.

Vicarius generalis est canonicus praepositus ecclesiae cathedralis, natus 59 annos, qui cum apud praecedentes episcopos munus secretarii per plurimos annos obierit et postea parochiam in urbe episcopali obtinuerit, experientia sat ampla commendatus episcopum omni ope adjuvat ejusque vices sollerter gerit. Etiam alii ministri jam praedicti munus cuique attributum laudabiliter et meritissime explent.

39. Quinam sint Curiae proventus sive ex taxis, sive ex multis pecuniariis, sive ex aliis titulis: et quomodo erogentur.

Curiae proventus fluunt ex taxis quae pro singulis actibus normantur, et ex subventione gubernii quae quidem impraesentiarum minimi est momenti; 6 curiales qui sunt sacerdotes, a gubernio salarium congruum accipiunt. Proventus erogantur pro expensis cancellariae et pro salario laicorum, quos episcopus propriis expensis sustentare debet.

CAPUT VI.

De Seminario.

40. Si dioeciesis seminario careat, quomodo consulatur pro comparandis sacerdotibus dioeciesi necessariis. An studium sit seligendi bonae spei iuvenes, e dioeciesi oriundos, ad clerum indigenam creandum; quo fructu et ubinam educantur. Can. 1353.

Adest seminarium minus puerorum „Collegium Petrinum” et seminarium majus clericorum.

41. Si seminarium adsit, referatur enucleate:

a) de numero et statu eorum qui externam disciplinam regunt, qui spiritualiter alumnos dirigunt, qui docent, qui discunt;

b) de statu aedium et rusticationis domus;

c) de redditibus et oneribus, hoc est de statu activo et passivo pii instituti;

d) de iis quae videantur necessaria ad meliorem Seminarii statum.

Seminarium minus ab aedibus episcopalibus mediam fere horam distans, in domo anno 1897 exstructa, permagna et fini seminarii omnino conveniente collocatum est et hoc anno 1923/24 numerat 319 pueros. Recipiuntur solum tales qui indolem et spem afferunt fore ut Deo et Ecclesiae qua sacerdotes futuri fideliter serviant. Illegitimi non recipiuntur. Unacum seminario conjunctum est in eadem domo gymnasium, quod a gubernio recognitum et gymnasiis publicis quoad omnia jura aequiparatum est.

Seminario puerorum praeest Regens (sacerdos), qui simul est director gymnasii. Ei subsunt professores et praefecti (omnes sacerdotes saeculares). Curam administrationis gerit administrator (sacerdos).

Seminarium majus clericorum in ipsa urbe episcopali situm est et locum praebet ca. 130 alumnis; hoc anno tamen numerantur solum 61. Seminario praeest Regens (sacerdos saecularis et canonicus honorarius), quem in administratione et disciplina alumnorum adjuvat Subregens; spiritualem directionem alumnorum procurat Spiritualis.

Cum Seminario conjunctum est Institutum theologicum, quod alumni frequentant. Praeest decanus; adsunt praeterea octo alii professores, omnes sacerdotes saeculares.

Omnes utriusque seminarii professores et praefecti vitam exemplarem ducunt et munere suo laudabiliter funguntur; quo fit, ut etiam pueri et alumni spem episcopi et dioecesis expleant. Si qui tamen praesertim pueri deprehenduntur dyscoli aut minus morigerati, ipsis fit consilium abundi.

Status aedium utriusque seminarii est bonus; domus rusticationis deest, quia pueri et alumni tempore feriarum domi apud suos conmorantur.

Status activus et passivus utriusque instituti hisce ultimis annis fuit varius, attenta devalorisatione monetae Austriacae et caritate enormi omnium rerum. Nihilosecius omnes pueri et alumni studiis incumbere et vocationi vacare potuerunt. Partim pensiones auctae fuerunt, partim subventiones Sedis Apostolicae et e terris exteris, praesertim ex America, defectum suppleverunt et viget spes, ut etiam pro futuro sustentatio materialis in tuto collocetur.

42. Distinctumne sit seminarium in maius et minus iuxta can. 1354 § 2.

Et si prudentia suaserit, aut dioecesis conditio exegerit, ut dumtaxat seminarium minus seu schola apostolica, uti vocant, constitueretur, dicatur ubinam maiores alumni educantur: num in seminario proprio provinciali, seu regionali, seu interdioecesano apostolica auctoritate constituto iuxta can. 1354 § 3. Et de eius statu adumbratio aliqua fiat.

Seminarium est distinctum in majus et minus.

43. An servatae sint regulae: can. 1356 circa tributum seminaristicum; can. 1357 circa visitationem alumnorum et regulas internas; cann. 1358, 1360, 1361 circa directionem disciplinarem, oeconomicam et spiritualem; can. 1359 circa deputatos; can. 1363 circa alumnos admittendos et excludendos; can. 1371 circa dimittendos aut expellendos; cann. 1364-1366 circa institutionem litterariam et scientificam, praesertim philosophiae et theologiae; can. 1367 circa pietatis exercitia; can. 1369 circa spiritum ecclesiasticum fovendum et urbanitatis leges tradendas.

Tributum seminaristicum can. 1336 non fuit impositum, cum pensiones alumnorum et aliae subventiones voluntariae sufficientes adsint.

Utrumque seminarium Episcopus frequenter visitat et de statu alumnorum a Superioribus exquirat et accipit. Regulae ordinis domestici ab Episcopo approbatae sub ejusdem et superiorum vigilantia observantur et observandae urgentur.

Directio disciplinaria, oeconomica et spiritualis concredita est praenominatis superioribus, qui pro viribus muneri adimplendo adlaborant.

Deputati pro disciplina et administratione utriusque seminarii ad tramitem can. 1559 constituti sunt, quorum consilium in causis majoris momenti exquiratur.

Illegitimi in seminarium minus non admittuntur et in seminarium majus solum post licentiam S. Congregationis praehabitam. Qui aut in seminario minori aliis periculosi fiunt aut in seminario majori vocationem ecclesiasticam non ostendunt, dimittuntur.

Institutio litteraria et scientifica in seminario minori regitur praescriptis publicis pro gymnasiis, quia secus pueri non admittuntur ad examina publica. Inculcantur saepe et vehementer studia humaniora et praesertim linguae antiquae.

In seminario majori inde ab hoc anno 1923/24 quadriennium quod hucusque in usu fuit, ampliatum est in quinquennium. Primis duobus annis praesertim philosophia scholastica secundum doctrinam et methodum S. Thomae traditur; insimul etiam docentur theologia fundamentalis, exegesis V. et N. Testamenti et linguae orientales. Sequentes anni exclusive studiis theologicis presse sumptis reservantur.

Exercitia pietatis in utroque seminario proprio directori spirituali concredita sunt et ad aedificationem observantur. Spiritus ecclesiasticus omni quo potest modo alitur et fovetur; leges urbanitatis expresse traduntur et declarantur.

44. An Ordinarius curaverit ut aliquis alumnus pietate et ingenio praestans peculiaria Urbis collegia, vel universitates sive facultates a S. Sede in Urbe vel alibi probatas adiret, ut ibidem in studiis perficeretur iuxta can. 1380.

Attenta temporum iniquitate alumni Romam mitti nequiverunt, attamen duo sacerdotes pro excolendis studiis theologicis in Oenipontana Universitate sub directione Societatis Jesu destinati fuerunt, quorum unus jam laudabiliter lauream doctoratus in s. theologia adeptus est. Est tamen in mente, ut quantocius unus alterve in Collegium Germanicum Romae mittatur.

CAPUT VII.

De clero generatim.

45. An clerus generatim habeat quo honeste vivere possit. An pro senibus et infirmis domus aut saltem subsidia adsint quibus adiuvari possint.

Clerus activus congrua sufficienti a gubernio dotatus est. Etiam senes et infirmi subsidia accipiunt tum a gubernio tum ab episcopo; praesertim elemosynae a terris exteris acceptae ipsis reservantur. Est etiam domus in urbe Linciensi pro aliquibus infirmis et senibus destinata. Nemo ope sufficienti vere destitutus dici potest.

46. An habeatur domus propria pro spiritualibus cleri exercitiis; an etiam quo poenitentes recipiantur.

Domus propria pro spiritualibus cleri exercitiis non habetur, sed sacerdotes eadem peragere solent in domibus regularium, ubi occasio sat frequens et conveniens ipsis praebetur. Domus pro recipiendis poenitentibus et corrigendis adest sub directione proprii sacerdotis.

47. Quo fructu Ordinarius curaverit ut clerici omnes ea adimpleant quae recensent: can. 125 circa sacramentalem confessionem et pietatis exercitia; can. 126 circa periodicum recessum ad spiritualia exercitia; can. 130 circa examina annualia novorum sacerdotum; cann. 131 et 448 circa conferentias cleri; can. 133 circa cohabitationem cum mulieribus; can. 134 circa communem clericorum vitam, praesertim vicariorum cooperatorum cum suo parcho, can. 476 § 5; can. 135 circa recitationem officii divini; can. 136 circa habitus ecclesiastici et tonsurae delationem; can. 811 circa vestis talaris delationem in missae celebratione; can. 137 circa fideiussiones cavendas; cann. 138-140, 142 circa abstinentiam ab omnibus quae statum ecclesiasticum dedecent, a theatris et spectaculis mundanis et a negotiorum saecularium gestione.

Confessio sacramentalis synodo dioecesana saltem semel in mense praescripta ab omnibus quoad sciri potest peragitur, a longe majori tamen parte cleri saepius, generatim alternis hebdomadibus. Etiam exercitia pietatis, praesertim meditatio, ab episcopo quavis data occasione inculcantur. Plerique sacerdotes adscripti sunt piis unionibus sacerdotalibus aut Sodalitati B. M. V. in quibus spiritus sacerdotalis et ecclesiasticus eximie colitur.

Periodicus recessus ad spiritualia exercitia synodo dioecesana saltem tertio quolibet anno praescriptus ab omnibus, a plerisque saepius observatur.

Examina annualia novorum sacerdotum ad amussim et sine ulla dispensatione exiguntur.

Conferentiae cleri bis in anno per decanatus instituuntur; themata et quaestiones ab episcopo proponuntur, solutiones examinantur et in folio dioecetano observationes necessariae et utiles publicantur.

Cohabitatio cum mulieribus praescriptis dioecetanis regulata est ita ut nulli ancilla permittatur quae non habeat aetatem saltem 33 annorum. Iteratis vicibus parochi iuniores dimittere cogebantur etiamsi scandala aut suspiciones non praecesserint.

Cooperatores vicarii fere ubique cum suo parochio in eadem domo cohabitant.

Recitatio officii divini apud omnes in usu et observantia est. Si forte contra aliquem suspicio submoveatur, monetur et adstringitur.

Circa habitum ecclesiasticum praescripta dioecetana semper urgentur. Dolendum apud non paucos irrepere usum vestium aut non satis obscurarum aut nimis brevium; moniti tamen emendationem promittunt.

In missae celebratione vestis talaris defertur nisi forte propter distantiam ecclesiarum ruralium aut tempestatis intemperiem vestes breviores saltem infra genua productae permitti debeant.

Fidei iussiones clericorum inconsulto Ordinario, quoad scitur, non contigerunt.

Quae statum clericalem dedecent, omnibus severe interdiciuntur, praesertim negotiorum saecularium gestio; theatra et spectacula mundana synodo dioecetana omnibus quidem interdiciuntur, sed observantia sensim sine sensu aliquatenus laxatur, cum non raro difficile sit decernere, quae sint mundana, quae honesta.

48. An et quot clericis licentiam concesserit, de qua in can. 139 § 3, operam suam praestandi in arcis seu mensis nummulariis parsimonialibus, cooperativis, ruralibus, aut similibus; an ratione communis boni, deficientibus laicis, et ob utilitatem religionis id concesserit; et num adhuc hae concessionis causae perseverent; an mensae nummulariae, in quibus clerici opus aliquod agunt, honestate personarum et principiorum tales sint, ut non dedecet sacerdotem in iis partem habere; an in iisdem administratio ita recte geratur, ut omne absit decoctionis periculum, in quo sacerdotes convoluti maneant; et quomodo caverit de securitate huius notitiae; an denique qui hisce arcis applicati sunt a religiosa sacerdotalis vitae praxi deflexerint, et molestiam aliquam attulerint; et si ita sit, Ordinarius casus proponat et remedia suggerat.

Quoad operam praestandam in arcis seu mensis nummulariis conplures sacerdotes officia obtinent, quae potius consilium et cooperationem exhibent quam strictam responsabilitatem prae se ferunt, praesertim in parochiis ruralibus, ubi laici idonei desunt. Augetur potius auctoritas et influxus cleri quam minuitur. Nullibi damnum aliquod aut inconveniens observatum fuit, pericula etiam eo removentur, quia hisce mensis consilium plurimum praepositum est, qui negotia gestionis invigilant.

49. An clerus praestet eam quam can. 127 praescribit obedientiam et reverentiam erga Ordinarium suum, et erga Apostolicam Sedem; et si sint qui graviter deficiunt, eos Ordinarius denunciaret. Si adsit in dioecesi clerus diversi ritus et linguae, quaenam sit inter clericos caritas et quaenam Ordinario cura fuerit pro utrisque.

Oboedientia et reverentia ab omnibus episcopo praestatur. In uno alterove casu monitiones et reprehensiones necessariae quidem fuerunt, sed non absque fructu. Clerici diversi ritus et linguae non adsunt.

50. An generatim clerus officia obsequenter suscipiat, quae Ordinarius iuxta can. 128 eis committit; an habeantur, qui quamvis viribus polleant, otiosi tamen vivere malunt; si habeantur qui Universitates laicas frequentent, an hi servaverint ac servant leges a S. C. Consistoriali ad rem statutas; et si huiusmodi adsint, eos Ordinarius indicet.

Officia injuncta omnes expleverunt; otiose nemo vivit. Universitates laicas solum frequentant ii, qui ab episcopo pro munere professorum in seminario aut puerorum aut magistrorum destinantur. Habitant in domibus ecclesiasticis et invigilantur quoad vitam sacerdotalem.

51. An adsint sacerdotes qui in diariis et libellis periodicis scribant vel ea moderentur; et qua facultate et utilitate id peragant. Can. 1386 § 1.

Folia et diaria catholica omnia a clericis moderantur, permagno fructu pro re catholica. In foliis adversariorum quicquam scribere omnes expresse prohibiti sunt. Anno elapso unus sacerdos regularis, praescripto episcopi neglecto, in folio liberali diversos articulos publicavit, qui a recto tramite doctrinae christianae aberrare coeperunt. Ab episcopo officii monitus respuit et oboedivit.

52. An adsint de clero qui cum scandalo diaria et ephemerides vel libros legant quae dedecent;

qui factionibus municipalibus vel politicis indebite se immisceant; qui ad statum saecularem redacti sint, aut per nefas ad illum sponte sua sint regressi. Cann. 211-214; et quid fiat ad horum malorum remedium.

Libri prohibiti aut diaria et ephemerides adversariorum a clericis non leguntur, saltem non regulariter. In casibus occurrentibus antea expetitur licentia episcopi. Factionibus municipalibus vel politicis indebite se nemo immiscet; pauci licentia praehabita, munus deputatorum obtinent, sed pro futuro episcopus jam declaravit, se nulli novo sacerdoti hanc licentiam esse impertiturum.

Ad statum saecularem unus a S. Congregatione redactus fuit et vitam honestam gerit. Alius sacerdos, dioecesi adhuc incardinatus, attamen in archidioecesi Vindobonensi commorans, passione vesana abreptus, frustra monitus matrimonium civile iniit et via facti se laizavit. Tertius demum sacerdos regularis Ordinis Cisterciensis a S. Congregatione indultum quidem laizationis obtinuit; quum tamen uti eum iam antea edocui obligatio coelibatus ei non remitteretur, pariter via facti matrimonium civile iniit, quin tamen aliud scandalum contra ecclesiam aut religionem crearet. Simili modo parochum vicarium Ordinis S. Benedicti, qui ad monasterium in archidioecesi Salisburgensi pertinebat, quum eum occasione visitationis canonicae concubinarium et patrem illegitimum duarum filiarum detegissem, frustra tum a me tum ab abbate monitum coegi, ut parochiam dimitteret. Quod quidem praestitit, sed passione irretitus concubinam non dimisit, se ipse laizavit, a fide catholica una cum concubina descivit, et in urbe quadam dioecesis meae degit, ceterum nil contra fidem moliens.

Ille sacerdos, de quo in prima mea relatione anni 1918 sub n. 47 rettuli, quod S. Sedem pro remittenda coelibatus obligatione rogavit, more laico vivens et ceterum bonum exemplum praesens, anno elapso libellum supplicem ad mentem Can 214 ad S. Congregationem misit, nondum tamen responsum accepit.

Ille vero sacerdos alienae dioecesis, de quo pariter sub n. 48 rettuli, adhuc in pejus ruit, cum a fide catholica desciverit, matrimonium civile iniverit et qua redactor diarii socialistici in ipsa urbe episcopali ecclesiam et fidem catholicam vehementissime oppugnet. Ceterum a plerisque fidelibus spernitur ejusque influxus paulatim minuitur. Cum monitiones et poenae canonicae frustra adhibitae fuerint, infelices isti misericordiae Dei relinquendi sunt.

53. An et quo fructu aliquas ex poenis recensitis in can. 2298 Ordinarius irrogaverit, et casus graviores referat.

Poenae in Can. 2298 recensitae in aliquibus casibus tantum infligendae erant. Sic duos parochos, qui se minus commendabant propter mores, adegit, ut ipsi parochiae renuntiarent, relicta tamen spe post aliquod tempus novum beneficium obtinendi, quod uni eorum de facto jam collatum fuit. Unum alterumve per tempus a cura animarum amovi et in domum correctionis amandavi.

CAPUT VIII. *De Capitulis.*

54. *Si desit Capitulum cathedrale, dicatur quot consultores dioecesani habeantur, et serventur circa ipsos quae cann. 424-428 statuunt.*

55. *Si adsit cathedrale Capitulum, dicatur quot dignitatibus et canonicis constet; adsintne officia canonici theologi et poenitentiarum et serventur ab ipsis quae cann. 398-401 iubent; habeantur alii beneficiati minores, et quot.*

Capitulum cathedrale constat 3 dignitatibus (praeposito, decano, scholastico) et 3 canonicis, quorum unus officium canonici theologi et alter poenitentiarum obtinet; prior in seminario majori lectiones e iure canonico alumnis praebet, alter in ecclesia cathedrali fidelium confessiones omni die per annum excipit. Alia beneficia minora in capitulo desunt.

56. *Exponatur quae sit dotatio Capituli seu beneficiatorum. In distributionum seu punctaturarum disciplina vigeantne et serventur regulae can. 395.*

Dotatio capituli e maiore parte in possessione rurali (silvarum) partim etiam in congrua gubernii sita est. Unus eorum qua parochus ecclesiae cathedralis redditibus parochiae sufficienter dotatus est. Disciplina distributionum numquam in usu fuit.

57. *Si adsint canonicatus aut beneficia patronata, curaveritne Ordinarius, et quo fructu, ut patroni spiritualia suffragia loco iuris patronatus, aut saltem loco iuris praesentandi, acceptarent, iuxta can. 1451.*

Canonicatus aut beneficia non sunt patronata, sed episcopus, gubernio praevidente non dissentiente, libere secundum jus canonicum canonicatus confert.

58. *Adsintne statuta iuxta cann. 410 et 416.*

Statuta quae semper adfuerunt, statim post publicationem Codicis Juris Canonici emendata fuerunt.

59. *Quot adsint canonici ad honorem; et serventur de ipsis regulae can. 406.*

Canonici ad honorem adsunt 6, cum consilio capituli ab episcopo nominati e clero dioecesano.

60. *Sede episcopali vacante, quaenam vigeat ratio providendi dioecesis regimini; servatane fuit, ultima vacationis vice, disciplina quam cann. 429-443 praescribunt.*

Sede episcopali vacante, statim a capitulo eligitur unus vicarius capitularis et alius oeconomus. Sic etiam ultima vice anno 1915; electi omnia ad normam juris peregerunt.

61. *Dicatur aliquid de modo quo Capitulum sacras functiones peragit, quo se gerit erga suum Ordinarium, et de aliis quae ad eius bonum nomen pertinent.*

Capitulum in omnibus sacris functionibus, quas episcopus celebrat, eidem debito modo assistit. Ordinarium omni fidelitate et sollertia in administratione et regimine dioecesis adjuvat, in cancellaria et consistorio opus et consilium praebet, in piis unionibus et diversis functionibus ecclesiasticis curam animarum et bonum spirituale fidelium promovet, ita ut apud omnes in maximo honore et aestimatione habeatur.

62. *Si adsint in dioecesi Capitula, praesertim insignia, vel Communiae cleri ad modum Capitulorum, Ordinarius de iis referat analoge ad ea quae pro cathedrali Capitulo sunt requisita.*

Alia Capitula vel Communiae cleri non adsunt.

CAPUT IX.

De Vicariis foraneis et parochis.

63. *Referatur an Vicarii foranei adimpleant diligenter ea omnia quae can. 447 praescribit de vigilantia in ecclesiasticos viros sui ambitus seu districtus, de cura ut canonicae leges et decreta Ordinarii observentur, de aliisque; an paroecias juxta normas ab Ordinario datas visitent; et an quotannis rationem reddant Ordinario de statu sui vicariatus iuxta can. 449.* Vicarii foranei officium ab episcopo commissum generatim maxima cura explent; unus alterve propter senium aut indolem propriam quamvis officio non defuerit, ab episcopo benigne invitatus officio renuntiavit. Omni anno parochias visitant et ad episcopum de his referunt.

64. *An paroeciae omnes de suo proprio pastore sint provisae; et serveturne lex a can. 460 lata de uno dumtaxat pastore in unaquaque paroecia habendo, reprobata qualibet consuetudine et revocato quolibet privilegio.*

Omnes paroeciae sine exceptione de suo proprio pastore sunt provisae et quidem unus solum paroeciae praeest.

65. *An adsint paroeciae amovibiles, quot, et qua de causa. An et quot unitae Capitulis sive cathedrali, sive collegiatis, domui religiosae, aut alii morali personae: et in hoc casu utrum serventur leges de vicario curato constituendo cum libero exercitio animarum curae iuxta statuta in cann. 415, 471 et 609 § 1. Et si religiosus sit parochus, an sarta tectaue sint quae Cann. 630, 631 hac de re praescribunt.*

Paroeciae amovibiles non adsunt exceptis quod in duabus districtibus quasi parochialibus urbis episcopalis et in uno districtu rurali non habentur parochi inamovibiles, sed sic dicti expositi vel administratores.

Parochiae monasteriis regularium incorporatae numerantur 88; parochi vicarii a praelato nominantur et ab episcopo approbantur; curam animarum sub vigilantia episcopi libere exercent sicuti ceteri parochi saeculares, servatis cann. 630, 631.

66. *An et quot adsint patronatui obnoxiae; an et quo fructu cura fuerit Ordinario ut patroni spiritualia suffragia loco iuris patronatus aut saltem loco iuris praesentandi acceptarent iuxta can. 1451; sin minus, an in praesentatione servatae sint leges a cann. 1457 seqq. latae, ac maxime a can. 1452 in casu electionis seu praesentationis popularis.*

Fere omnes 420 parochiae obnoxiae sunt patronatui aut gubernii aut ecclesiastico aut laicali publico vel privato. Ut saltem patroni ecclesiastici loco praesentandi acceptarent suffragia spiritualia, in folio dioecetano exoptatum fuit et complures jam aut pro semper huic juri renuntiarunt aut quum de parochia vacante ageretur, voto episcopi obsecundarunt. Patroni laici, praesertim gubernium, ut jus praesentandi cedant ex hoc jam solo titulo rogari nequit, quia aut leges civiles obstant aut simul cum jure praesentandi etiam cederentur onera in maximum damnum ecclesiae, quae omnibus subventionibus publicis pro conservandis beneficiis destitueretur. Ceterum etiam laici generatim votis episcopi quoad praesentationem magis idonei libenter obsecundant. Praesentationes populares non habentur.

67. *An provisio paroeciarum quae sunt liberae collationis fiat per concursum, et qua ratione concursus celebretur. Can. 455 seqq.*

Concursus habetur generalis bis in anno, quod etiam ceteris dioecesibus Austriacis concessum fuit.

68. *Quibus redditibus parochi vivant, an ex immobilibus, ex publico foenore vel aerario, an ex incertis stolae, et fidelium vel dioecesis contributione. An commode generatim vivant, et an adsint qui egestate laborant. An domo propria paroeciali, saltem conducta eaque sufficienti,*

generatim instructi sint; et si non, an studium sit et probabilitas ut ea instrui valeant.

Redditus quibus parochi vivunt constituuntur tum immobilibus bonis beneficii, tum publico aerario (congrua), tum incertis stolae oblationibus. Generatim commode vivunt et ex activis nemo egestate laborat. Ubique adest domus paroecialis propria in qua parochus cum cooperatore fere ubique simul cohabitant. Vitae communis ratio contra conatus contrarios strenue sustinetur.

69. An parochi generatim satisfaciant iis quae praescribunt: can. 463 § 4 circa gratuitum ministerium praestandum iis qui solvendo pares non sunt; can. 465 circa residentiam; can. 466 circa applicationem missae pro populo; can. 467 circa sacramentorum administrationem et animarum salutis zelum; can. 468 circa infirmorum curam; can. 469 circa vigilantiam ne errores contra fidem et vitia subrepan et circa opera caritatis, fidei et pietatis in paroecia instituenda et fovenda; can. 470 circa paroeciales libros recte conficiendos; circa exemplaria tradenda quotannis Curiae episcopali; can. 785 circa sacra olea a parochis loco decenti ac tuto custodienda.

Eorum qui solvendo omnino impares aut difficulter pares sunt, parochi generatim ubique rationem habent. Residentia bene observatur. Applicatio pro populo fit secundum normam juris tum communis tum dioecesani. Circa sacramentorum administrationem et animarum salutis zelum generatim non est cur conquerer, imo longe plures „omnibus omnia fiunt” et magnae mihi consolationi sunt. Certe etiam adsunt qui aut remisse aut negligenter officium implent; hi aut monentur aut si moniti non respiscant, ut beneficium resignent impelluntur. Cura infirmorum quasi omnibus maxime cordi est. Ne errores contra fidem et vitia subrepan, pastores animarum sollerter invigilant et si quae irrepserint, strenue obnitentur; pariter fere omnes opera pia fidei et caritatis in paroeciis aut institutis studiose fovent aut instituenda curant. Libri paroeciales ut rite conficiantur, decani et episcopus invigilant et generatim omnes laudem merentur. Librorum baptizatorum, mortuorum et matrimonio copulatorum exemplaria duplicia quotannis Curiae traduntur ex singulis parochiis. Olea sacra aut in ecclesiae sacristia aut praesertim si domus paroecialis longius distet in hac tuto et decenter custodiuntur.

70. Circa baptismum: an quaelibet ecclesia parochialis sacro fonte sit instructa iuxta can. 774, et quoties infantes sine periculo aut gravi incommodo ad paroecialem transferri nequeant, an parochus ad proximiorum ecclesiam vel publicum oratorium pro sacramento ministrando ultro libenterque accedat iuxta can. 775.

Quaelibet ecclesia parochialis sacro fonte instructa est; quoties infantes sine periculo aut gravi incommodo extra domum ad paroecialem ecclesiam transferri nequeunt, ad instantiam parentum, attestante et persuadente medico, infantes domi baptizantur, sed raro tantum.

71. Circa SSmam Eucharistiam: an parochis cura sit studiumque indefessum ut, iuxta can. 863, fideles saepius et etiam quotidie pane Eucharistico reficiantur; ut iuxta can. 865 infirmi, dum plene sunt sui compotes, S. Viaticum suscipiant; ut iuxta can. 1273, 1274 et 1275 cultus SSmi Sacramenti augeatur, excitando fideles ad quotidianam missae adsistentiam, ad visitationem serotinam peragenda, exponendo statis temporibus SSmam Eucharistiam, aliaque utilia peragendo; ut iuxta can. 854, servata quidem parentibus et confessariis debita libertate ad iudicandum de sufficienti puerorum dispositione ad primam communionem, iidem parentes ne negligant officium suum, et alii abusus ne subrepan.

Parochi student frequentem et etiam quotidianam susceptionem Ss. Eucharistiae commendare et promovere; infirmi fere semper dum plene sunt compotes, S. Viatico muniuntur.

Cultus Ss. Sacramenti ferventer promovetur diversis devotionibus per annum celebrari solitis, praesertim adoratione perpetua in ecclesiis parochialibus et piis domibus vel institutis, frequenti imo in quamplurimis parochialibus ecclesiis cottidiana expositione Sanctissimi in

missa, cui fere ubique fideles adulti et tempore praesertim aestivo pueri et puellae scholam frequentantes assistunt.

Prima communio puerorum regulariter fit tertio anno ex quo scholas publicas frequentare coeperunt; quandoque etiam prius.

72. Circa extremam unctionem: an parochis cura sit, ut hoc sacramentum ab infirmis recipiatur dum sui plene compotes sunt.

Infirmi fere semper dum sui plene compotes sunt, sacramento unctionis extremae muniuntur.

73. Circa matrimonii celebrationem: an parochis omnibus cura sit diligens observandi quae praescripta sunt in Codice lib. III, tit. VII, circa libertatem status, impedimentorum dispensationem, sacros ritus, et adnotationem matrimonii.

Praescripta Juris Canonici circa libertatem status, impedimentorum dispensationem, sacros ritus et adnotationem matrimonii parochi rite observant. Si qui defectus quandoque deprehenduntur, statim fit monitio et correctio.

74. Circa catechesim: an ab omnibus parochis diligenter serventur quae praescribit can. 1330 circa peculiarem catechismum pro prima confessione et communione et pro confirmatione puerorum; et cann. 1331-1336 de catechismo diebus festis impartiendo tum pueris tum adultis.

Catechesis in scholis publicis a parochis et cooperantibus vel sacerdotibus peculiariter ad hoc deputatis traditur. Pro prima confessione et pro confirmatione puerorum peculiaris instructio instituitur.

Diebus festis catechismi traditio tum pueris tum adultis non quidem expresse et formaliter traditur, fit tamen in plerisque parochiis instructio quasi dogmatica aut in homilia matutina aut in brevi explanatione catechetica post meridiem.

75. Circa evangelii explanationem: an ab omnibus lex servetur can. 1344; circa sacras conciones: an statis quibusdam temporibus sacrae conciones frequentius habeantur ad normam can. 1346, et sacrae missiones locum habeant iuxta can. 1349.

Evangelii explanatio et sacrae conciones ad normam s. canonum fiunt omnibus diebus dominicis et festivis de praecepto et quidem bis in die, si adsunt duo sacerdotes; praeterea in quamplurimis aliis occasionibus specialiter in quadragesima et mense Majo ita quidem ut praedicationes potius abundant quam deficient. Sacrae missiones ex praescripto dioecetano decimo quoque anno habentur.

76. An vicarii cooperatores aliique animarum curatores suis officiis laudabiliter fungantur iuxta can. 473 seqq.

Vicarii cooperatores aliique animarum curatores suis officiis generatim laudabiliter funguntur, praesertim juniores e clero ita ut magna adsit spes augendi et promovendi adhuc amplius salutem animarum et spiritum vere ecclesiasticum.

CAPUT X.

De religiosis.

77. An Ordinarius sive per se, sive per alium, quinquennalem visitationem domorum religiosarum peregerit iuxta cann. 512, 513: et quae notabilia adnotanda habeat.

Domus religiosae in quantum subsunt visitationi canonicae saltem una vel altera vice omni quinquennio visitantur vel ab episcopo vel a commissario ad hoc habitualiter deputato.

In domibus monialium et sororum occasione visitationum hucusque generatim nihil vituperio dignum detectum fuit; defectus minoris momenti monitione et exhortatione emendati sunt. In

una domo monialium Carmelitarum discalceatarum anno elapso dissensiones et factiones monialium partim pro partim contra antistitam, quae dispensatione Apostolica cum junior fuisset, in priorissima electa fuit, pacem et concordiam per aliquod tempus turbaverunt; sed tum Episcopi monitionibus tum denique priorissae resignatione pax iterum restituta adhuc perdurat.

78. Utrum religiosi, sive viri, sive mulieres, vitam communem ducant; an sint qui habitent soli, vel in domibus privatis cum saecularibus, et quo iure; quae sit in utroque casu eorum fama; quaenam pro dioecesi utilitas; an catechismum tradant, si Ordinarius requisierit iuxta can. 1334; quo habitu incedant.

Religiosi sive viri sive mulieres generatim vitam communem ducunt.

Clerici regulares, qui curam animarum in compluribus dioecesis parochiis gerunt, aut soli aut ad summum duo vel tres in domo parochiali degunt.

In domibus privatis cum saecularibus religiosi non cohabitant, exceptis paucis sororibus, quae in domibus privatis vitam quidem communem inter se agunt, sed etiam laicas familias in eadem domo cohabitantes tolerare coguntur tum vi pacti olim in fundatione instituti caritativi in initium tum praesertim hisce temporibus ob penuriam habitationum pro laicis ita ut vi legis civilis tales laicos in domo religiosa recipere cogantur.

In una familia nobilis fundatricis et benefactricis domus religiosae una soror jam ex compluribus annis apud piam matronam benefactricem commoratur, ut ipsam quodammodo adjuvet. Sed in mente est, etiam hanc exceptionem quamprimum tollere, si res fert.

Fama religiosorum utriusque sexus generatim est optima et aedificationem fidelium excitat. Utilitas pro dioecesi praesertim his temporibus est maxima, cum religiosi praesertim sorores omnia opera pietatis et caritatis summopere colant et promoveant. Pro catechismo tradendo eorum opera extra scholas publicas non requiruntur.

Moniales et sorores omnes sine ulla exceptione habitum propriis constitutionibus praescriptum gerunt. Etiam religiosi in communitate viventes habitum proprium deferunt, cura animarum constituti ut religiosi quidem regulariter cognoscuntur, sed generatim clero saeculari quoad habitum se conformant. Quae supra quoad clerum saecularem vituperatione digna commemorata sunt respectu vestium clericalium, etiam partim pro istis regularibus valent.

79. Si quaestuant adsint, sive viri, sive mulieres, an canonicae praescriptiones cann. 621, 622, 624 servaverint: an aliquod inconveniens acciderit, vel aliquid sit de hac re animadvertendum.

Religiosi quaestuant qui adsunt nullam in hac re ansam querelae dederunt. Unus solus frater religionis laicalis semel ob vitae rationem minus dignam ab episcopo monitus fuit.

80. Si congregatio aliqua dioecesani iuris, vel societas sive virorum sive mulierum in communi sine votis viventium habeatur, Ordinarius de ea, aut de eis, nomen dicat, finem, sodalium numerum, utilitatem, et si quae alia observanda habeat.

Congregatio sive societas juris dioecesani sine votis viventium non habetur.

81. Referat Ordinarius an aliquod offendiculum cum religiosis habeat in suae iurisdictionis exercitio.

Quoad iurisdictionis exercitium nullum habetur offendiculum.

82. Si adsint religiosi viri ordinibus sacris iam initiati, qui exclaustri, saecularizati aut dimissi a religione fuerint, referat Ordinarius quid de ipsis dicendum iuxta cann. 639, 640, 669 seqq.

Pauci religiosi ordinibus sacris jam initiati et postea saecularizati observant quae can. 640 praescribuntur; exclaustri vel dimissi a religione non adsunt.

83. De religiosis mulieribus in specie Ordinarius referat:

a) an observentur canonicae leges circa admissionem ad novitiatum, professionem, clausuram, confessarios ac bonorum temporalium administrationem iuxta cann. 512, 513, 520-527, 533-535, 547, 549, 550, 552, 600-605;

b) si quae monasteria monialium superioribus regularibus sint subiecta, an in casibus a iure statutis Ordinario subdantur iuxta cann. 500 § 2 et 615;

c) quae vitae activae sunt quibus diversis operibus se addicant, et quo fructu;

d) si sint quae infirmis in privatis domibus adsistant, aut rem domesticam in nosocomiis, Seminariis vel similibus virorum domibus gerant, an cautum sit a periculis quae in his adiunctis obversantur, et an aliquid habeatur deplorandum.

Mulieres religiosae praescriptiones canonicas bene observant circa admissionem ad novitiatum, professionem, clausuram, confessarios ac bonorum temporalium administrationem.

Monasteria monialium superioribus regularibus subjecta non adsunt.

Religiosae quae vitae activae sunt operam dant operibus aut pietatis aut caritatis aut instructionis profanae; quae infirmis in privatis domibus assistunt aut rem domesticam in seminariis, nosocomiis vel similibus virorum domibus gerunt, generatim nullam dantes ansam querelae. In paucis casibus acciderunt scandala, quae modo meliori qui possibilis erat reparabantur.

CAPUT XI.

De populo fideli.

84. Dicatur quinam sint generatim populi mores: quatenus vita christiana privata in familiis: quatenus publica in oppidis et civitatibus: an in externis pompis et solemnitatibus magis consistat, quam in vero pietatis spiritu. Et si sint differentiae notabiles unius loci ab alio, indicentur. Quid fiat ut christianae vitae professio, si paululum defecit aut a recta via declinavit, sensim reducatur.

Populi mores generatim boni sunt ruri, minus boni in civitatibus, ubi indifferentismus, factiones socialistarum, facilis ad voluptates aditus et prava exempla multa pericula et scandala creant. Vita privata in familiis generatim bona est; dolendum summopere, firmitatem vinculi matrimonii laxatam esse perversis legis civilis dispensationibus et adhuc perversioribus ideis et machinationibus quoad numerum prolis, quae pariter a socialistis et „liberis pensatoribus” propagantur. Fatendum pariter vitam religiosam apud haud paucos christianos magis aestimari ex solemnitatibus externis, minus ex spiritu interno; animarum tamen curatores pro viribus adlaborant ut priores non augeant, posteriorem confirmant. Adhibentur fere ubique media extraordinaria ad vitam christianam propagandam: sacrae missiones, piaev uniones praesertim sodalitia Mariana, cura specialis pro juventute, conciones extraordinariae, propagatio diariorum et librorum christianorum, consociationes laicae pro diversis statibus fidelium.

85. Qua reverentia clericos, et maxime Episcopum et S. Pontificem, populus prosequatur. Can. 119.

Clerici et maxime Episcopus apud bonos ubique in debito honore habentur. Quae immediate post rerum publicarum eversionem contra clerum ab hostibus disseminabantur odia et invectioes, fere ubique evanuerunt. Amor et gratitudo erga Summum Pontificem valde aucta sunt maximis beneficiis, quae tum clero tum populo hisce temporibus calamitosis a Beatissimo Patre nobis obvenerunt.

86. *Quae sit observantia: can. 1248 circa praeceptum audiendi sacrum et abstinendi ab operibus servilibus diebus festis; cann. 1252, 1254 circa abstinentiam et ieiunium; can. 770 circa sollicitam baptismi collationem infantibus; can. 859 circa communionem paschalem: quot sint ex viris et ex mulieribus qui, cum sint professione catholici, nihilominus eam negligunt, facta proportione pro singulis centenis fidelium; can. 863 circa frequentem communionem; cann. 865 et 944 circa extrema sacramenta: an sint inter eos qui catholici censentur, qui haec sacramenta differunt, negligunt aut etiam recusant: et dicatur eorum numerus, habita proportione pro centenis; cann. 1203, 1239 seqq. circa cremationis reprobationem et funera: dicatur, servata proportione ut supra, quot ex iis qui catholici dicuntur funeribus mere civilibus seu irreligiosis sepeliantur: an id contigat ex nimietate taxarum stolae, an ex alia causa.*

Praeceptum audiendi sacrum ruri generatim bene observatur; in civitatibus permulti negligunt praesertim tempore aestivo voluptatibus immodice dediti. Abstinencia ab operibus servilibus, quae tempore belli laxari debuit, in compluribus parochiis minus bene observatur. Abstinencia a carnibus in civitatibus persaepe laeditur; jeiunium a quo multi hisce temporibus calamitosis exempti et dispensati censi debuerunt fere solum in piis communitatibus observatur.

Infantibus baptismus generatim mox post nativitatem confertur.

Communio paschalis universim bene observatur; sunt tamen in civitatibus haud pauci qui omnino a vita ecclesiastica alienati sacramenta numquam frequentant. Numerus exactus affirmari difficulter potest, cum desint documenta; sed a veritate haud multum aberrare opinor, si statuam, in singulis centenis fidelium inveniri circiter 5 vel 6, qui obligationem non adimplent.

Communio frequens paulatim magis magisque promovetur, praesertim apud juventutem. Sacramenta extrema fere omnes Christiani recipiunt, vix inveniuntur qui ea vere detrectent; maxime apud eos qui ex parte socialistarum aut liberorum cogitatorum sunt.

Cremationis abusus haud quidem magnus est, promovetur tamen a francomurariis et liberalibus. Funera mere civilia solum instituntur, si sepultura ecclesiastica deneganda est.

87. *Circa matrimonium: an matrimonia mere civilia, concubinatus et divortia habeantur, et qua proportione; an vitia contra sanctitatem matrimonii irrepserint; quid fiat ut haec mala removeantur.*

Matrimonia mere civilia raro celebrantur, concubinatus publici haud pauci, divortia quamplurima dolenda sunt. Sanctitas matrimonii magis magisque laeditur perversis machinationibus neo-malthusianismi et procurationis abortus. Unicum fere remedium adhiberi potest in confessionali et in sacris concionibus.

88. *Ubi catholici cum acatholicis mixti sunt, et mixta matrimonia habentur, dicatur numerus horum matrimoniorum tum absolutus tum relativus ad matrimonia non mixta: quaenam exinde detrimenta religioni proveniant: an serventur ab his contrahentibus clausulae can. 1061.*

Parochiae, in quibus catholici cum acatholicis mixti sunt, numerantur potissimum sequentes: Goisern, Scharten, Hallstatt, Gosau, Eferding, Wels, Linz, Ried, Ischl.

Tabella sequens exhibet numerum matrimoniorum mixtorum annis 1917 – 1923 contractorum.

Parochia	catholici	protestantes	matrimonia
			non mixta mixta

Goisern	1980	3190	79	16 (+35) ¹
Scharten	823	514	35	2
Hallstatt	1131	732	57	13
Gosau	200	1292	4	2
Eferding	5530	733	283	3
Wels	22012	1486	1274	28
Linz	93095	4008	7764	84
Ried	6370	153	401	3 (+2)
Ischl	9370	450	473	14 (+2)

Detrimenta religioni provenientia sunt potissimum indifferentismus circa religionem, apostasiae postea non raro subsecutae, liberorum educatio aut indifferens aut haereticalis. Praescripta can. 1061 a contrahentibus semper sine ulla exceptione exiguntur.

89. De christiana educatione prolis: quomodo generatim parentes et qui loco parentum sunt, in sinu familiae satisfaciant gravissimae huic obligationi, de qua cann. 1113 et 1372: et quae cura sit ne ab hoc officio fideles deficiant.

Christiana prolis educatio generatim quidem a parentibus et eorum locum tenentibus observatur. Deplorandum tamen, haud paucos parentes nimis indulgere filiis suis et saepenumero intuitu commodorum temporalium bona spiritualia parvipendere aut penitus negligere. Monentur tamen iterum atque iterum in sacris concionibus tum in diversis piis unionibus, ne officio suo gravissimo desint. In quamplurimis locis existunt etiam „Associaciones parentum christianorum”, in quibus, sacerdote praeunte, fit deliberatio seria de modo optimo, quo educatio liberorum promoveatur et pericula praecaveantur. Immo hisce ultimis temporibus propria associatio sub nomine „Christiana organizatio pro scholis et parentibus” fundata est, quae educationem et instructionem juventutis christianae contra perversos conatus adversariorum strenue defenderet.

90. De scholis: an in publicis scholis, praesertim elementaribus, servetur praescriptum can. 1373 de institutione religiosa puerorum. Et si non, qualibet de causa; an cura sit fidelibus et clero instituendi pro catholicis pueris scholas confessionales, eosque avertendi a scholis acatholicis, neutris, mixtis, iuxta can. 1374.

In publicis scholis tum elementaribus tum superioribus institutio religiosa per 2-3 horas in quavis hebdomada a sacerdotibus traditur.

91. De conditione et statu scholarum confessionalium, praesertim elementarium, enucleate referatur: quomodo sustententur, a quot alumnis frequententur, qualique profectu. Et si scholae confessionales institui non potuerint, indicetur causa: et dicatur, an per varia opera post-scholastica, hoc est oratoria festiva, Congregationes Marianas, scholas catechisticas, aliisve modis, cautum pro viribus sit praeservationi puerorum et puellarum.

Scholae confessionales elementares publicae, lege civili obstante, in Austria hucusque non potuerunt institui; est tamen praesertim nunc temporis maximus conatus apud omnes fideles vere christianos, ut leges civiles scholam confessionalem praescribant. Solummodo perpaucae scholae confessionales privatae apud congregationes religiosas habentur necnon una alterave quae a piis societatibus sustentantur.

Opera postscholastica varia habentur: congregationes Marianae, associationes juventutis sub praeside sacerdote, praesertim vero secretariatus dioecesanus pro juventute christiana, qui a sacerdote zelante et peritissimo maximo cum fructu dirigitur. Similis institutio etiam pro juventute feminea adest.

¹ Numerus uncis inclusus significat matrimonia sine cautelis contracta.

92. *De religiosis et piis laicorum associationibus; an adsint in dioecesi tertii Ordines saeculares, et confraternitates, illae praesertim Ssmi Sacramenti et Christianae doctrinae, aliaeque piae uniones potissimum pro iuvenibus: quo numero et quo religionis profectu.* Tertii Ordinis saeculares in quamplurimis parochiis habentur et adhuc major numerus confraternitatum sub diversis titulis pietatis.

93. *An hae associationes servant omnes praescripta: can. 690 de subiectione erga Ordinarium; can. 691 de administrationis modo.*

Hae associationes omnes sub directione suprema Ordinarii eriguntur et diriguntur et praescripta can. 691 quoad essentiam observant.

94. *An adsint inter catholicos associationes illae, quae sociales vocantur, agricolarum, operariorum, mulierum in hunc vel alium caritativum finem, vel mutuuum subsidium; an asyla pro infantibus, patronatus pro iuvenibus, pro emigrantibus etc., circuli pro iuventute, laboratoria pro artificibus, vel pro puellis etc.: quo spiritu agantur: an directioni et moderationi Ordinarii et Apostolicae Sedis dociliter subsint: quaenam beneficia sive moralia sive temporalia praestent.*

Associationes sic dictae sociales fere in omni parochia adsunt, quae omnis generis necessitatibus et commodis tum corporalibus tum spiritualibus inserviunt. Quamvis non in omnibus sacerdotes primas partes teneant, tamen vix inveniuntur associationes huiusmodi, in quibus non consilium, directionem et influxum salutarem habeant. Sunt quasi adminicula fortissima curae animarum.

95. *An cura sit ut qui hisce associationibus sive religiosis et piis, sive socialibus adscripti sunt, in fidei doctrina instituantur et christianam vitam ducant.*

Qui religiosis et piis associationibus adscripti sunt, omni cura providetur, ut in fidei doctrina, in qua sunt a juventute instituti, magis magisque excolantur et vitam christianam exemplarem ducant. Qui socialibus associationibus adscripti sunt, muniuntur praesertim contra errores serpentes eruditionibus, quae ipsis a sacerdotibus aut a laicis idoneis praebentur, ut vitam christianam ducant iterum atque iterum monentur, quamvis saepenumero dolendum, vitam complurium ideae christianae, quam tales associationes prae se ferunt, minus respondere.

96. *An et qua diffusione ephemerides vel diaria obscoena, irreligiosa, modernistica vel liberalia dioecesim pervadant: an libri quoque huius generis diffusi sint; quid fiat ad tantum malum coercendum et quo fructu.*

Ephemerides vel diaria directe obscoena non habentur; irreligiosa vel potius atheistica censenda sunt complura diaria socialistica; modernistica vel potius liberalia sunt fere 5. Libri huius generis latius grassantur. Ad tantum malum coercendum jam ex longo tempore fundata et quam latissime diffusa habentur diaria et ephemerides christianae, pro quibus propagandis instituta est tum associatio catholica typographica cum pluribus typographiis filialibus tum unio sub nomine Pii V. pro libris et praesertim ephemeridis christianis latius diffundendis; et fructus² hucusque laboribus et sacrificiis bene responderunt, ita ut adversarii retundi aut confundi queant, quoties nimis in rem christianam irruant.

97. *An massonicae sectae addicti, vel etiam massonicae tabernae in dioecesi habeantur: quanta et quali activitate operam adversus religionem moliantur; quid fiat ad occurrendum huic malo.*

² Korrigiert aus functus.

Certissime habentur massonicae sectae addicti, sed palam non se ostentant aut potius ignorantur. Tabernae massonicae, si forte habeantur, pariter ignorantur. Adest associatio quasi massonica „Flamma” pro crematione cadaverum pugnans, sed hucusque absque nimio successu, quamvis timendum, ne temporis progressu talis abusus potius a liberalibus et socialistis quam a francomurariis latius propagetur. Ut hoc cohibeatur, tum in publicationibus tum data occasione in associationibus fideles praemonentur et erudiuntur.

98. An socialismi societates habeantur: quot numero, quanti momenti et quali religionis noxa: et quid fiat ad hanc avertendam.

Socialismi societates inde a rei politicae eversione in Austria quam latissimae ubique, praesertim in urbium fabricis et apud operarios grassantur. Influxus namque praedominans politicus hucusque saltem partibus socialistis concessus nimio animo eos implevit; omnia tentaverunt, ut operarios maxime christianos suo veneno pestifero corrumperent et renitentes terrore, vi omnisque generis violentia adigerent ad consociationem socialisticam. Qua vi externa coacti, ut sibi suisque victum quaererent, magna pars operariorum christianorum saltem in foro externo nomen dederunt talibus associationibus socialistis; sed occasione data et influxu socialistico paulatim contuso magna jam pars libertati reddita tale vinculum involuntarium abiecit et spes affulget, ut adhuc major pars parti socialisticae terga vertat. Ubique enim et quavis occasione socialistae animum omni religioni infensissimum palam ostendunt suosque asseclas ab ecclesia et christiana religione penitus avertere conantur. Perditissimus tamen conatus in hoc deploratur, quod jam pueros teneros ideis suis inficiunt et unionem antireligiosam sub nomine „Amici puerorum” ipsis commendant, immo parentes cogunt, ut filios adscribant; in qua quidem unione juvenili pueri cohibentur, quominus ecclesiam frequentent, missam audiant, functionibus et solemnitatibus ecclesiasticis adsistant; quare praesertim diebus dominicis et festivis adiguntur, ut iter suscipiant aut in montes aut in oppida vicina, ubi mundanis voluptatibus detinentur. Haud mirandum, sub tali influxu irreligioso etiam mores juventutis mature perdi permultosque castitatem jam amisisse. Talia molimina antichristiana nos episcopi Austriaci jam inde a 2 annis in communi epistola pastoralis aperte et gravissime damnavimus et associationem interdiximus.

99. Utrum in exercitio iurium politicorum et civilium fideles catholici religionis bono et ecclesiae libertati pro viribus consulant.

In exercitio iurium politicorum et civilium fideles catholici, qui hoc nomen vere merentur, omnibus viribus contendunt ut deputati vere christiani eligantur, qui praesertim libertatem et jura ecclesiae strenue tueantur.

Ultima electio pro deputatis consilii rei publicae die 21. Octobris, hoc anno 1923 habita rei christianae novum augmentum attulit et spes affulget, progressu temporis partes adversariorum magis adhuc imminutas iri.

CAPUT XII.

Iudicium syntheticum Ordinarii circa dioecesis statum.

100. Denique Ordinarius, omnibus in universum complexis, dicat, praesertim in prima sua relatione, quid actu sentiat de materiali et morali conditione dioecesis, quae spes melioris status affulgeat, quaenam maiora discrimina immineant.

In sequentibus vero relationibus addat, quomodo et quo fructu ad effectum perduxerit monita et mandata, si quae S. Congregatio in sua responsione ad praecedentem relationem significaverit: et utrum progressus, regressus, an potius idem ferme persistens status in rebus fidei et morum haberi videatur in dioecesi: et quaenam de eo censeantur causae.

Attendendo ultimam relationem status anni 1918 res tum religiosae tum sociales-morales potius emendatae sunt. Partes catholicae magis magisque coalescunt et consolidantur.

Continuae et vehementes impugnationes ex parte adversariorum fidem excitant, animum addunt, tepiditatem elidunt. Accedit quod condiciones materiales hoc anno fere contra spem emendatae sunt, quo quidem factum est, ut pax et ordo paulatim revertantur et confirmentur. Sperandum est fore ut vita religiosa et ecclesiastica novum robur accipiant.

+ Joannes Maria Gfoellner
Epsicopus Linciensis